

tra gentiles, cap. xxvi) omnibus rebus commune est; intellectum vero habere non omnibus: et similiter appetitum intellectivum habere, qui est voluntas, non omnibus est commune, sed quod appetitus intellectivus sit habet ab intellectu voluntas; omnis enim appetitus, et inclinatio sequitur ad formam suam, et appetitus intellectivus ad intellectualem naturam. Est ergo intellectualitas radix voluntatis, et prior atque intimior est immaterialitati animæ intellectus, quam voluntas. Tum quia objectum intellectus est abstractius, et independentius, et modo altiori, et ampliori attingibile, ut pote quidditates rerum attingens, et sub universalitate, et abstractione a singularibus procedens, quod majorem abstractionem, et consequenter majorem amplitudinem, et universalitatem petit; voluntas autem magis ad singularia tendit, quia magis practica est, et ad res in individuo tendit, ut pote consecutionem rei intendens, quæ solum fit in individuo. Tum denique, quia intellectus movet perfectius, et altius, quam voluntas; voluntas enim solum effective, et applicative ad opus movet, intellectus autem objective, et specificative, imo et finaliter; quia et si voluntas versetur circa finem, tamen habet se ut mota a fine, non ut finis movens. Intellectus autem attingit ipsum finem ut monentem, quia voluntas movetur a fine, ut proposito per intellectum, et sic ipsa ratio boni, ut momentis prius est in intellectu, quam attingatur a voluntate. Versatur autem voluntas circa finem, et bonum, ut mota ab ipso bono, non movendo ex ipsa ratione boni; et iterum respicit bonum, non quantum ad suam quidditatem, et rationem, sicut intellectus, sed quantum ad suam convenientiam, et allicien-

tiam ut obtineri possit, et in eo quiescere, quod est versari circa bonum, non tam altiori, et perfectiori ratione, sicut intellectus.

LXI. Hæc ratio non indiget majori explicatione in præsentia, quia latius a nobis tractata est citato loco de anima, et in solutionibus argumentorum iterum attingetur. Sed tamen licet efficaciter procedat pro ea parte, qua supponitur etiam cum Scoto, beatitudinem debere esse perfectissimam operationem, tamen quia propria, et formalissima ejus ratio non consistit in hoc quod sit operatio perfectissima, sed quod sit adeptio ipsius finis (quidquid de ejus perfectione sit) ideo prior ratio est magis fundamentalis, et propria. Quomodo vero etiam in supernaturalibus actibus sint perfectiores actus intellectus, quam voluntatis, dicemus in solutione argumentorum.

#### ARTICULUS IV.

*Expediuntur difficultates contra sententiam præcedentis articuli.*

I. Ad tria præcipua capita rationes oppositæ sententiæ reducuntur. Primum est probando, quod actus voluntatis, sive fruitio, sive amor amicitiae, est assecutio objecti beatifici. Et licet etiam actus intellectus sit aliquo modo ejus assecutio, non tamen ultima et perfecta, sed hæc soli voluntati reservatur, ideoque in ea debet potius constitui essentialis beatitudo, quam in actu intellectus, aut saltem non est major ratio, quod ponatur in intellectu, quam in voluntate. Secundum est probando, quod actus amoris sit perfectior actu visionis, ideoque ad amorem pertinere debet formaliter, et essentialiter beatitudo. Tertium est probando, quod actus amoris est ap-

tior, et magis proportionatus, ut ex illo sequantur proprietates beatitudinis et proprius status illius, ut impeccabilitas, perpetuitas, delectatio, vel quies et satietas.

II. Et in primis, antequam proponantur istæ rationes arguitur auctoritatibus deductis ex Scriptura, et patribus, in quibus significatur beatitudinem nostram esse gaudium, seu fruitionem, qui est actus voluntatis. Dicitur enim Matth. xxv: de servo fideli: *Intra in gaudium Domini tui*: et Joan. xvi: *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*. Et de ipsa delectatione gloria dicitur Ps. xxxv: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis tuæ potabis eos*: Apocalyps. ii: *Vincenti dabo manna absconditum*: Psal. xvi: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Ex patribus deducitur hoc ipsum; ex Augustino pluribus locis. In primis x confession. cap. xxi: « Omnes, inquit, ipsum gaudium vitam æternam vocante et cap. xxii: Hæc sola est vita æterna; gaudere ad te, de te, et propter te: » et cap. xxiii: « Beata vita est gaudium de veritate. » Et libero de doctrina christiana: « Hæc, inquit, est summa merces, quod Deo perfruamur: » Et cap. xxiii affirmat: « Homines et Angelos pariter beatos esse perfruendo. » Et lib. viii de civitate, cap. ix: « Beatus est, qui eo quod amat, fruitur; quisquis ergo fruitur eo quod amat, et verum ac summum bonum amat, quis eum beatum esse, nisi miserimus neget? » Ac denique in sermone lvi de tempore, qui est primus in quinquagesima, inquit: « Charitas summum est præmium sanctorum in cælo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei. » Item Anselmus lib. ii Cur Deus homo, c. i: « Creaturam rationalem a Deo factam esse justam,

ut fruendo beata sit, dubitari non debet: » et eodem libro secundo, cap. iii: « Perversus ordo, inquit, est amare ad intelligendum; rectissimus intelligere ad amandum. » Ergo non potest sistere ultima beatitudo nostra in visione intellectus, sed in amore voluntatis; alias recte ordinaretur amor ad intelligendum. Denique Chrysostomus homil. xlvii in Matthæum: « Voluntas, inquit, est, quæ remuneratur pro bono. » Sed remuneratio est beatitudo; ergo illa in voluntate est.

III. Respondetur loca Scripturæ posse intelligi dupliciter. Primo, de gaudio objective, id est, de ipsa re, de qua est gaudendum in patria, quæ est usitata phrasis Scripturæ; sicut dicitur Christus spes, et vita nostra, et Apostolus ipsos Philippenses vocat: *Gaudium suum et coronam*, ad Philip. iv. Et secundum hanc intelligentiam, illa loca nihil probant, si quidem non intelliguntur de formali beatitudine, sed de objectiva; nec assignant actum voluntatis, seu fruitionem pro ejus adeptione; sed loquuntur de re, de qua gaudendum nobis est; ejus tamen adeptio non ad voluntatem dicitur pertinere: sicut cibus est gaudium gulosi, et libido luxuriosi, et pecunia avari, non tamen ista ipso actu voluntatis formaliter obtinentur. Secundo possunt intelligi loca illa de gaudio formali pro ipso actu voluntatis, quo fruemur Deo: sed non dicitur in his locis, quod beatitudinis assecutio sit ipsa fruitio, aut actus gaudii. Quod enim in illa beatitudine erit summum gaudium, quodque fruemur Deo quis negare potest, cum sit plena fides. Sed quod adeptio, et consecutio illius rei, de qua gaudendum est, formaliter essentialiter fiat per ipsum actum fruitionis et gaudii, an alio actu apprehendente Deum, unde deducitur?



IV. Ad loca patrum respondetur non specificare Augustinum in illis locis ipsam formalem consecutionem beatitudinis, quæ est propria, et intima ratio formalis beatitudinis de qua in præsentia agimus, sicut in aliis locis id specificavit de visione, ut supra latius ponderavimus. Solum ergo dicit: « Gaudium esse vitam æternam: » et: « In gaudio de Deo esse vitam æternam, » quia revera illud gaudium est ipsa vita æterna complete, et consummative, licet non sit essentialiter ipsa adeptio beatitudinis. Specialiter autem in illis locis ex decimo confessionum, gaudium dicit esse vitam beatam, et gaudium de Deo, et gaudium de veritate, sumendo gaudium, non solum pro formali gaudio, qui est actus ipse voluntatis, sed etiam pro radicali, quod est ipsa adeptio rei, unde est gaudendum: hoc enim totum pertinet ad gaudium, et nomine gaudii intelligi potest; sicut et ipsa vita beata seu vita æterna non intelligitur solum de ipso actu formalis beatitudinis, seu adeptiois objecti beatifici, sed de omni eo, quod pertinet ad vitam illam beatam, sive substantialiter, sive complete, aut concomitanter, totum hoc enim ad vitam illam pertinet. Et hoc ideo dicimus, quia in eo loco Augustinus non tractabat de beata vita specialiter disputando, aut distinguendo in ipsa, quid sit adeptio substantialiter aut quid sit complementum, seu ornatus, aut consummatio illius, sed absolute loquitur de beata vita pro omni eo, quod involvit, et includit, et secundum quod communiter pertinet ad omnes, quia: « Omnes, inquit, beatam vitam gaudium esse dicunt, » nec tamen omnes distinguunt de eo, quod est beatitudo pro adeptione, seu essentiali beatitudine, vel quod est complementum, et ornatus, sed totum illud quod ad intellectum, vo-

luntatemque pertinet, beatam vitam appellant. Et Augustinus de eo quod omnes concipiunt communiter nomine vitæ beatæ, ibi agit, licet paulo ante in illo capite vigesimo primo citato ex decimo confessionum gaudium distinxerit, et acceperit pro actu voluntatis, quo aliquis lætatur in animo; non tamen solum hoc modo accipit gaudium, cum de beata vita agit, quam omnes cupiunt, sed de eo quod communiter nomine gaudii intelligi solet, id est, ipsum etiam objectum, de quo est gaudendum.

V. Ad locum ex libro primo de doctrina christiana, cap. xxxii, eodem modo respondetur mercedem summam dici ab Augustino ut Deo perfruamur, sumendo fruitionem, non solum formaliter in voluntate, sed etiam radicaliter in intellectu, unde incipit fruitio, quia ibi tenetur objectum, quo fruendum est, et ibi fit adeptio, et possessio ejus, ex qua sequitur in voluntate formalis fruitionis actus. Et quia ipsa adeptio rei desideratæ ad hoc ordinatur, ut ea fruamur, et in ea quiescamus, ideo optime dicitur secundum communem modum loquendi, mercedem nostram esse fruitionem præmii, quod est Deus, includendo in ipsa fruitione, non solum actum formalem fruitionis ex parte voluntatis, sed etiam adeptionem ejus ex parte intellectus. Et eodem modo intelligitur, quod dicit capite xxxiii: « Quod fruentes pariter beati sumus, » non quia fruitio ipsa formalis sit adeptio, et essentia beatitudinis, sed quia fruentes Deo beati sumus, non ipsa fruitione adipiscentes, sed ipsa complentes, et consummantes beatitudinem. Et eodem modo intelligitur dictum ex libro octavo de civitate; non enim negari potest, quod ille qui fruitur eo quod amat, beatus est; non tamen sequitur quod fruitione ipsa consequatur

beatitudinem, sed sufficit quod fruitione consummet; sic enim qui consummat, a fortiori beatus est, quia non solum habet substantiam, et essentiam beatitudinis, quæ est adeptio, sed etiam consummationem et complementum.

VI. Ad alium locum Augustini ex sermone lxxx (qui locus videtur cæteris esse urgentior) respondetur charitatem esse summum præmium in cælo, et id quo nihil est gratius, et dulcius sanctis, quia est id quo consummatur, et decoratur beatitudo, non id in quo ejus substantia consistit. Unde dicit S. Thomas in quarto, dist. xlix, q. i, a. i, questione. ii ad quintum, quod per affectum homo perfectius Deo conjungitur, quam per intellectum, in quantum conjunctio, quæ est per affectum supervenit perfectæ conjunctioni, quæ est per intellectum, perficiens, et decorans eam, sed tamen oportet, quod prima conjunctio sit semper per intellectum. Sic etiam interpretatur D. Thomas in hac quæstione iii, art. iv ad primum dictum Augustini in xix de civitate, quod beatitudo hominis in pace consistit; quæ pax utique ad quietationem voluntatis spectat. Dicit autem D. Thomas quod pax pertinet ad ultimum finem, non essentialiter, quasi adeptio illius, sed consequenter, quia adeptio fine remanet homo pacatus quietato desiderio. Sic etiam charitas summum præmium est in cælo, nec in illo gaudio aliquid dulcius, non essentialiter quasi consecutio ejus, sed consecutive quasi complementum, et aliquid consequenter se habens, in quo perficitur, et suavizatur ultimo ac decoratur præmium in cælo. Unde ipse Augustinus in eodem sermone lxxx subdit: « Nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei, quem quia præsentem vident, suavius diligunt, dulcius fruuntur ipso bono. » Non

ergo ipsa dilectio apud Augustinum est id, quo primo, et essentialiter fit adeptio beatitudinis, sed id, quod ex tali adeptione consequitur.

VII. Ad locum Anselmi respondetur verissime dici, quod rationalis creatura justa facta est, ut fruendo Deo beata esset. Sed hac fruitione distinguimus duo, scilicet assecutionem, seu adeptionem boni, quo fruituri sumus, et gaudium, seu delectationem de tali bono adeptio. Primum pertinet ad intellectum, et illud est essentialis beatitudo, quia est ejus adeptio. Secundum pertinet ad voluntatem, et est ejus complementum, seu accidentalis perfectio. Anselmus vero loquitur de fruitione pro toto hoc, quod ad fruendum Deo requiritur, id est, tam de fruitione radicali quam formali. Quod vero affertur ex alio loco Anselmi dicimus, perversum esse ordinem amare ut intelligas, sed intelligere ut ames, quia istæ potentiæ sic se habent, ut prior ordine sit intellectus, deinde sequatur voluntas, quæ est posterior intellectu, non e contra. Non tamen ex hoc sequitur, quod consecutio finis sit per voluntatem, non per intellectum. Unde perversus ordo esset amare ad intelligendum, optimus vero intelligere ut ames, id est, ut dicente habitu ad effectum, non ad finem, nec ad consecutionem ejus.

VIII. Ad locum Chrysostomi respondetur voluntatem remunerari, scilicet meritorie, quia elicit merita, quæ remunerationem postulant; non subjective, quasi in ipsa voluntate, ut in subjecto, adeptio remunerationis sit.

FRUITIO, ET AMOR NUNQUAM EST FORMALIS CONSECUTIO BEATITUDINIS; ET AN SIT EJUS PARS, VEL CONDITIO, VEL PASSIO?

IX. Ex ratione arguendo, occurrit



primo loco difficultas, ex eo quod etiam ad voluntatem pertinet ratio assecutionis finis non minus quam ad intellectum, aut etiam perfectius, et plenius. Et ad formandum hoc argumentum supponendum est, quod licet voluntas, aut amor secundum se abstrahat ab objecto præsentem, vel absentem; similiter etiam intellectus, et cognitio abstrahit a præsentem, vel absentem; determinatur vero voluntas ad amandum, ut præsens, ex eo quod supponit objectum sibi approximatum, aut possessum, et sic proponitur per intellectum. Intellectus vero determinatur ad cognoscendum rem ut præsentem, et intuitive, quando in se est physice præsens, et ratione suæ præsentia terminat visionem, uniturque intellectui per se immediate, vel per speciem suimet repræsentativam intuitive, et clare. Quare utraque potentia est unitiva sui objecti, illudque amplectitur ut præsens, licet diversimode, intellectus trahendo ad se rem per repræsentationem, voluntas inclinando in rem per ponderationem. Et utraque potentia antecedenter ad suum actum supponit aliquid, per quod objectum uniatur, et præsentetur ei; intellectus speciem, voluntas apprehensionem de rei præsentia.

X. Hoc supposito formatur argumentum sic. Amor amicitia, aut etiam fruitio, unit objectum sibi, et reddit illud adeptum, et possessum; ergo non minus pertinet ad voluntatem essentialis ratio beatitudinis, quam ad intellectum. Quod si perfectius, et principalius id facit voluntas, essentialius erit ipsa beatitudo, quia beatitudo est perfectissima adeptio finis. Consequentia ex hoc manet probata, quia essentia beatitudinis est adeptio objecti beatifici; ergo si hoc convenit amori, erit essentialiter et principalius beatitudo; intellectus vero solum præ-

paratorie, et dispositive se habebit ad illam. Antecedens vero probatur, tum quia proprius effectus amoris est unire amantem cum amato, ut D. Thomas infra quæst. xxviii, artic. i, probat ex Dionysio, cap. iv de divinis nominibus, ubi inquit: « Quod amor est virtus unitiva. » Et Augustinus in viii de Trinitate, cap. x, inquit: « Quod amor est junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens. » Et in expositione primæ epistolæ S. Joannis tractat. ii, prope finem, inquit idem Augustinus: « Si terram diligis, terra es; si Deum diligis, quid dicam? Deus eris. » Imo D. Thomas citato loco ad tertium concludit: « Quod amor est magis unitivus, quam cognitio, quia cognitio unit secundum similitudinem intentionalem; amor vero ad ipsam rem fertur. » Neque hoc solum convenit amori concupiscentiæ, sed multo nobilioris amori amicitia, quia amicum reputat tamquam se. Unde Augustinus inquit iv confessionum, cap. vi: « Bene quidam dixit de amico suo, dimidium animæ suæ. » Et Aristoteles ii politicorum, cap. ii, ex Aristophane refert, quod dixit: « Amantes desiderare ex ambobus fieri unum, sed quia ex hoc accideret aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, et decet. » Et ergo amor de se maxime unitivus, præsertim amicabile, et sic maxime in ipso consistet adeptio, et consecutio Dei, quia hæc consecutio per unionem spirituales fieri debet, et præcipue per eam, quæ maxime unitiva est. Nec per solam unionem intellectus adeptio ista fit, quia adeptio ista debet esse possessiva, quatenus objectum facit suum; sola autem voluntas rem facit suam, quatenus per amorem amicitia, amicus est alter ego. Et pertinet ad voluntatem comprehendere beatitudinem, ut dicit D.

Thomas in hac quæstione iv, artic. iii ad secundum et tertium.

XI. Tum etiam probatur idem antecedens, quia amor est unitivus in ratione boni, sicut cognitio in ratione veri. Assecutio autem Dei maxime fit in ratione boni, cum sit assecutio finis ultimi ratione finis; bonum autem, et finis idem sunt. Unde Exodi xxxiii dixit Dominus Moysi petenti ejus beatitudinem, et gloriam: *Ego ostendam tibi omne bonum.* Unio ergo in ratione boni adeptio beatitudinis est. Tum etiam, quia ad eandem potentiam pertinet tendere ad terminum et assequi illum; per motum enim quo tendimus terminum in motu locali, vel alterationis, illum assequimur. Et per tendentiam, qua visus respicit colorem, assequitur illum: sed voluntas motu suo tendit in illum ultimum finem, tum amando, tum sperando, tum alia bona opera exercendo, vel imperative, vel elicitive, ergo ad eam pertinet assequi talem finem.

XII. Quod si respondeatur pertinere ad voluntatem assecutionem, et unionem ad objectum affectivo modo, non reali, et effectivo; sed hoc pertinet ad aliam potentiam, ut videmus in assecutionibus aliorum finium, quos diversis potentiis, et a voluntate distinctis assequimur, verbi gratia manu, gustu, etc. Nos autem in præsentem loquimur de assecutione reali ipsius finis, non de affectiva. Vel secundo responderi potest, quod voluntas et amor important assecutionem, et unionem objecti quasi completivam, et consummativam, non primariam, et essentialem; hæc enim supponitur facta per intellectum. Unde non consistit in ipsa unionem amoris essentialis beatitudo, sed consequitur ad essentialem adeptionem ejus.

XIII. Contra primam solutionem instatur: Nam etiam visio non facit

unionem cum objecto in esse reali, sed in intentionali, et objectivo (ut supra ex D. Thoma ponderavimus) quod enim uniatur essentia divina per se immediate cum intellectu beati, per accidens est, nec enim essentia divina unitur entitative, sed intelligibiliter, et supplendo vicem speciei. Unde in opinione eorum, qui putant dari speciem creatam repræsentativam essentia divina in se, æque bene datur beatitudo; et tamen non unitur realiter divina substantia, sed mediante specie. Præterquam quod hæc unio essentia divina non sit per ipsam visionem formaliter, sed antecedenter in ratione speciei, ut ex tali unionem procedat visio; ergo antecedenter ad visionem dabitur ista possessio. Quare unio visionis solum est objectiva, et intentionalis; non entitativa, et realis. Ergo ad constituendam adeptionem objecti beatifici in se, non magis conducit unio intellectiva, quam affectiva. Patet consequentia, quia si magis conducirer, esset quia unio affectiva non est realis, et secundum entitatem objecti, ideoque minus apta ad possessionem et adeptionem finis: sed etiam intellectiva unio non est realis, et entitativa, sed intentionalis; ergo non est ipsa realis adeptio, et possessio finis magis, quam actus voluntatis.

XIV. Contra secundam autem solutionem instatur: Quia licet actus voluntatis, et unio affectiva quæ per amorem fit, sit posterior unionem intellectiva, tamen non propterea illa prima est essentialis, et ista est accidentalis, sed illa, quæ voluntatis est, dici potest essentialis, quia ibi consummatur, et perficitur tota unio, et assecutio objecti; intellectiva vero unio erit præparativa ad istam. Nam si solum ex eo quod posterior est præsupponit intellectivam unionem, dicitur non esse formalis, seu



essentialis adeptio; eadem ratione non dicitur adeptio actus visionis, quia supponit factam unionem objecti cum potentia per speciem impressam in esse intelligibili: ergo si non obstante hac priori unione, quæ præcedit visionem, dicitur a nobis fieri unionem, et adeptionem beatitudinis per visionem, quia unio in ratione speciei præcedit ut quid prærequisitum ad visionem, eadem ratione dicitur fieri adeptionem essentialiter per actum voluntatis, præsuppositive autem, et dispositive per actum intellectus. Nec enim est major ratio in uno, quam in alio.

XV. Confirmatur totum hoc, quia unio amoris etiam concurrat essentialiter, aut integraliter ad beatitudinem; ergo non est cur dicatur in solo actu visionis consistere beatitudinem, sed consistet in utroque actu, principaliter in actu voluntatis, quia ibi magis perficitur, et consummatur beatitudo. Ibi autem ponitur subjective, et essentialiter aliqua virtus, ubi consummatur; sicut virtutes morales quæ versantur circa passiones, ponuntur a D. Thoma subjective in appetitu sensitivo, quia ibi consummatur electio, et perfectio earum, licet inchoetur in voluntate, ut patet in prima secundæ, quæst. lvi, art. v ad primum. Antecedens probatur, quia non potest aliquis dici beatus, nisi sit rectificatus, et ordinatus in Deum, quod utique fit per amorem. Unde dicit Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ: « Quod beatus dici non debet, qui non amat quod habet, etiam si optimum sit. » Et sic concludit: « Quod beata vita inveniri queat, cum id quod est hominis optimum, et amatur, et habetur. » Et S. Bernardus epist. xviii, inquit: « Quod præsentem consummat intellectus, et amor; et quod his quasi duobus animæ brachiis, intellectu videlicet

et amore, amplectitur et comprehenditur cum omnibus sanctis longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum. » S. Thomas etiam in hac quæstione iv, a. viii ad tertium inquit; « Quod dilectio charitatis est essentialis beatitudinis quantum ad dilectionem Dei, non quantum ad dilectionem proximi. » Et ratio hujus est, quia non censetur aliquis beatus nisi adipiscatur finem ad fruendum eo, et tamquam rem a se amatam, et desideratam, et ut satiatur in illa, istæ enim sunt proprietates per se consequentes beatitudinem, ut scilicet delectetur, et satiatur, et comprehendat beatitudinem ea comprehensione, quæ est dos animæ, et succedit spei, ideoque residet in voluntate (ut supra vidimus.) Hæc autem omnia non possunt competere beatitudini, ut est sola, et præcisa visio, sed etiam ut amor est, quia omnia ista in voluntate exercentur, et ad integrandam ipsam felicitatem spectant: sicut avarus etiam si possideat pecunias, si tamen non possidet illas, ut amatas, non delectatur in illis, nec censeat se felicem in illis, etsi se sentiat possessorem, quia nondum quiescit; ergo similiter licet intellectus possideat Deum, si non quiescit per delectationem, nondum est beatus; pertinet ergo ipsa delectatio ad beatitudinem.

XVI. Respondetur ad principale argumentum, amorem voluntatis non posse esse unitivum, et assecutivum sui objecti primo, et per se, et per assecutionem realem, et effectivam, sed solum affectivam, neque elevatur ista unio per hoc quod sit amor amicitiae, qui sistit in amato propter ipsummet amicum; in præsentem enim agimus de adeptione boni, quatenus beatificat ipsum adipiscens, illumque perficit, non quatenus ordinatur ad bonum alterius propter alterum. Quare amor

amicitiæ impertinenter hic adducitur, licet enim amicus reputet alterum amicum tamquam se ipsum, non tamen per hoc præcise in se perficitur, et fit beatus ex non beato, hoc enim fit per intrinsecam actuationem, et perfectionem, qua in se perficitur, qui adipiscitur summum illud bonum, non per hoc, quod alteri vult bonum, vel alterum reputat tamquam se. Concedimus ergo amorem esse unitivum, et ejus effectum esse unionem, ut S. Thomas docet infra quæst. xxviii, artic. ii. Sed cum sit duplex unio, altera per affectum, altera per effectum, seu realem conjunctionem, primam facit amor formaliter, ut ibi dicit S. Thomas, secundam effective, quia ad eam movet, si res est absens, ut acquiratur: vel si est acquisita, in ea quiescit, et delectatur. Unde non pertinet ad voluntatem facere istam unionem effectivam, et realem immediate per se, sed per aliam potentiam, quam movet ad acquirendam rem, quam nititur obtinere: sicut res sensibiles manu, vel sensu aliquo capimus; res intelligibiles intellectu. Et sic universa aliter res quas desideramus, aut amamus, alia potentia obtinemus, ut D. Thomas in hac quæstione iii, art. iv, dicit. Et experientia id videmus in rebus sensibilibus, quas non voluntate adipiscimur, licet voluntate quæramus, sed sensibus; nec enim avarus, luxuriosus, gulosus res, quas concupiscunt voluntate assequuntur, sed manu, tactu, gustu, etc. Similiter ergo res spirituales non voluntate assequitur amor formaliter loquendo, sed intellectu, licet ad assequendum moveat, et in assecuta quiescat. Munus si quidem voluntatis, et appetitus solum est inclinare in ipsam rem, illique conjungi per modum ponderis, et affectus juxta quod sibi proponitur per intellectum, ipsam vero rem præ-

sentem, et adeptam facere, sive absentem, non facultate sua immediate et per se, sed per alias potentias facit, quia affectus non facit rem præsentem, sed circa præsentem, et per cognitionem præsentatam versatur. De hac ergo unione amoris sive affectiva, quam immediate facit amor per se, et formaliter, sive effectiva, quam facit mediantibus aliis potentiis loquuntur auctoritates allatæ. Et cum D. Thomas dicit: « Quod amor est magis unitivus, quam cognitio, » loquitur de unione amoris effectiva, et quam facit amor per modum causæ efficientis, et moventis mediantibus aliis potentiis, non de ea tantum, quam formaliter causat, dicit enim sanctus doctor: « Quod cognitio perficitur per hoc quod cognitum unitur cognoscenti secundum suam similitudinem, sed amor facit, quod ipsa res, quæ amatur, amanti quodammodo uniatur; » ubi ly facit sumitur in vi efficientis causæ, quia scilicet amor ultra affectivam unionem, quam formaliter per se facit, movet effective ad acquirendam unionem amati, sed illa per aliam potentiam ministranda, et exercenda est: cognitio autem solum facit unionem cum objecto intentionalem, non effective movet ad acquirendam eam. Hæc tamen non tollit, quominus si res, quæ acquirenda est sit ipsa veritatis intelligentia, etiam si visione ipsa, et cognitione formaliter acquiratur, quia non in alio consistit realis adeptio scientiæ, et intelligentiæ, et veritatis, et talis est adeptio finis ultimi, qui est ipsa veritas.

XVII. Et cum dicitur, quod spiritualis unio debet fieri per amorem, qui spiritualis, et maxime unitivus est, respondetur quod per amorem solum fit unio affectiva formaliter loquendo; unio autem spiritualis effectiva, seu in re, debet fieri intellectu; quia est consecutio veritatis,